

## **CONFESSIO FIDEI MAGISTRI S. BRUNONIS 1**

**Fidem Magistri Brunonis, quam communiter fratribus suis protestatus est, cum sensisset appropinquare sibi horam ut ingrederetur viam omnis carnis, scriptam curavimus servare, eo quod satis intime rogaret, ut fidei illius coram Deo testes essemus.**

## **CONFESSIO FIDEI 2**

**1. Credo firmiter in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum ex utroque procedentem, et has tres Personas unum Deum.**

**2. Credo quod idem Dei Filius conceptus sit de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.**

**Credo quod Virgo castissima fuerat ante partum, virgo in partu, et post partum virgo in æternum permansit.**

**Credo quod idem Dei Filius conceptus sit inter homines ut verus homo sine peccato.**

**Credo quod idem Dei Filius invidiose captus est a perfidis Judæis, injuriose tractatus, injuste ligatus, consputus, flagellatus, mortuus, sepultus.**

**Descendit ad inferos, ut captivos suos inde liberaret.**

**Descendit propter redemptionem nostram, et resurrexit, ascendit ad cælos, inde venturus judicare vivos et mortuos.**

**3. Credo Sacramenta quae catholica credit et veneratur Ecclesia, et nominatim quod consecratur in altari verum Corpus esse, veram Carnem et verum Sanguinem Domini**

**nostri Jesu Christi, quem et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, in spem salutis æternæ.**

**Credo carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.**

**4. Confiteor et credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum naturalem, unius substantiæ, unius naturæ, unius majestatis atque virtutis.**

**Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. Ipse Pater a nullo originem ducit, ex quo et Filius nativatem, et Spiritus Sanctus processionem accepit. Fons ipse igitur et origo est totius Divinitatis. Ipse quoque Pater, essentia quidem ineffabilis, substantia sua Filium genuit ineffabiliter, nec tamen aliud quam quod ipse est genuit, Deus Deum, lux lucem. Ab Ipso ergo est omnis paternitas in cœlo et in terra.**

**Amen.**